



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Verbo Dei Libri Tres

Helm, Heinrich

Coloniae, 1560

VD16 H 1736

Quomodo allegari debeat scriptura, & quando, & an nihil aliud quàm scriptura praedicari possit. Caput. XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30114**

ad perditionem suam ruens cuilibet verbo credit. Scriptura *Pro. 14*  
 autem ut nihil est utilius, si recte intelligatur, & ea legitime  
 utamur, ita contra nihil damnabilius, periculosius & nocentius,  
 si ad prauum sensum & nothum (sicut faciunt hæretici) torqueatur.

*Quomodo allegari debeat scriptura, & quando, & an  
 nihil aliud quam scriptura prædicari possit.*

Caput. XXVIII.

**D**ebet ergo prædicator verbum Dei allegare, & si po-  
 test, nihil aliud prædicare. Nihilominus, nec illæ sper-  
 nedus est prædicator, qui pro simplicium filiorum Dei, pusil-  
 li gregis Christi, & communis populi ædificatione & ca-  
 ptu etiam aliena quæ expediunt ædificant, & conferunt insti-  
 tuto adducit & allegat, quamuis in sacris literis, si sola ver-  
 ba respicimus, non sint digesta. Sed neque illud spernedum esse  
 ducimus, quod raro allegat scripturæ loca: nec crebras autho-  
 ritates super illas adglomerat: dummodo à Christi spiritus  
 sancti non deflexerit voluntate, quæ est ædificatio popu-  
 li auscultantis. Nam multæ allegationes, paruulos, indoctos,  
 simplices & carnales non ædificant, sed eorum auditum & memo-  
 riã confundunt adeo ut plerumque cõciõne finita tam recedat igna-  
 ri, quam venerat. Crebro etiam fit ut cõcionatores aconita puer-  
 forum dogmatum, sub folijs scripturarum occultant, vel aucupã-  
 dæ laudis transitorie gratia, semetipsos prædicantes, cõtones ta-  
 les scripturarum cõfarciant. Sed hac in re, nemo facile est iu- *1. Cor. 2.*  
 dicandus, cum nemo sciat quod agatur in homine nisi spiritus  
 hominis, qui est in homine & scrutator cordium & renum  
 cogitationum, item discretor intentionum cordis, Deus. *Hebr. 5.*  
 Nihilominus, sermo simplex, in gratia sole conditus de B  
 noti prædicatoris, qui facit & docet, penetrat cor, gra- *Eph. 4.*  
 tiam & ædificationem fidei auditoribus bonæ volunta- *Col. 4.*  
 tis tribuit, corda compungit, ciet lachrimas, ignem a- *Luc. 12.*  
 moris accendit, à diaboli laqueis accepto, salutis consilio, *2. Tim. 2.*  
 resipisce.



- 1. Reg. 10.** resipiscere facit. Mutat in viros alios, deponere facit veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris cum actibus suis, & induere nouum, qui secundum Deum creatur in iusticia & sanctitate veritatis. Eiusmodi prædicator, Helias zelator legis, fuit, qui ascendit sicut ignis, & sermo eius ut facula ardebat. Talem ardorem amoris diuini, sermo Christi in discipulorum cordibus accendit: vnde dicebant: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via & aperuit nobis scripturas? vnde & lex D E I ignea dicitur: & omnis sermo Dei ignitus, qui sincere prædicatus, & simplici corde auditus, ignea corda & tractabilia reddit. Anima mea liquefacta est: factum est cor meum tanquam cera liquefscens: concaluit cor meum in me, ut dilectus meus locutus est: & in meditatione mea (qua auditum sermonem instar agni & ouis ruminatio) exardescit ignis in corde meo, diuini amoris, quem Christus misit in terram, & voluit ut arderet. Sermo talis siue prædicatio, ad omnia utilis est. Nam intellectum illuminat per fidem, memoriâ firmat per spem, voluntatem inflammat, purgat & ordinat per charitatem, cor penetrat emollit induratos, obstinatos conuertit, elongatos reducit saluat perditos, lucratur peccatores, bonos confirmat in omni opere & sermone bono.

*Sanctorum doctorum scripta, non sunt additiones ad verbum Dei Caput .XXIX.*

**A**bsit etiam, quod damnemus id in ecclesiasticis scripturis cum Iudeis sycophantibus, quod vel inuiti nobiscum laudibus efferre coguntur in Dei prophetis. Deus namque perfectam legem Iudæis dedit, quia Dei perfecta sunt opera. Perfectum verò illud dicimus, cui nihil addi potest, & omnia requisita habet. Ergo nec legi Dei perfectæ aliquid